



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio XXXII. Non solum licitum est de genere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

loris trium, quatuor, aut quinque ducatorum, consentit Sotus, & consentiunt alii. Quando vero esset magni valoris, exiguaque esset spes illum potestea recuperandi, affirmat Sotus fas in eo eventum esse illum interficere. Neque id auderem condemnare; modò prius voce admoneretur, nisi rem relinquat, esse interficiendum. Semper tamen est consulendum, ne proximus occidatur.

Videat lector circumspectionem Molinæ in hac tota materia, & miretur levitatem obtrectatorum, quos patitur hoc tempore.

Non plus quam Molina docuit Escobar loco citato: adeatur locus: plura enim describo jam pridem, quam vel mihi libeat, vel mereatur hic accusator: sed amicorum iudicium istud fuit; qui ipsi mihi ignoscant, si identidem non obsequar: ipsos mihi velim habere obsequentes tantundem in genere tam scabro atque inamœno.

#### PROPOSITIO XXXII.

**N**on solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

Verbis expressis Propositionem hanc esse traditam ab Amico Tom. 5. d. 36. sect. 8. n. 131. affirmat accusator.

Non est ita. Amicus non expressit, licere defendere jus inchoatum defensione occisiva, quod exprimitur in propositione damnata: particulas illas studio videtur omisisse. Etenim



cum ibi ex communi Sententiâ de licitâ defensione bonorum temporalium cum occisione aggressoris injusti, inferat tria corollaria, cumque in primo & secundo corollario exprimat, licere defensionem cum occisione, in tertio infert quidem, licere defendere jus inchoatum, tacet verò de defensione occisiva, cavens, ut opinor, ne tantam *juris* defensionem videretur permittere, quantam *rei* possesse. Neque contrarium convincit illatio: ut si ex eo, quod liceat defendere mille aureos occidendo invasorem, inferam, licere uti defensione, & vim adhibere contra invasorem unius solidi: Sicut enim solidus suâ vitalitate facit, ut intelligam illationem de defensione quadam repulsivâ invasoris, sed inferiori, quam sit occisiva, sic & jus seu spes, tantò vilior, quam res.

#### PROPOSITIO XXXIV.

*L*icet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

Hic citat quemdam Jesuitam. Quod est nomen illi Jesuitæ? nescit. Unde habet fuisse Jesuitam saltem innominatum, cujus hæc esset sententia? à Dianâ p. 6. tract. 8. Res. 37. unde accepit Diana? à quodam viro nobili. A quo habebat ille vir nobilis? eratne amicus